

AK. 295

v. Globig


Zb  
3594

10  
**PERILLVSTRI**  
AC  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**IOHANNI GOTTHELF**  
**DE GLOBIG**  
IN REGIS POLONIAE ET ELECTORIS  
SAXONIAE SVPREMO CONSISTORIO  
DRESDENSI  
PRAESIDI  
**DE NATA FILIA**  
PIE  
CONGRATVLATVR  
**CONRADVS IVLIVS FRIDERICI**  
MOEKRIZ. MISN.  
REV. MINIST. CANDIDAT.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.







*Fortes creantur fortibus; et bonis:  
- - - nec imbellem feroes  
Progenerant aquilae columbam.*

HORAT. Carm. L. IV. Ode 4.

---

## VIR EXCELLENTISSIME,



Per multa, eaque insignia bona TIBI a Deo  
et natura concessa esse, nemo ignorat: per  
multa quoque iam TVIS meritis virtu-  
te que digna TE praemia tulisse, nec minus  
multas res TIBI laete prospereque eue-  
nisse, quae iam saepius animum TVVM eximio com-  
pleuerint gaudio, ncminem potest fugere. Gaudes gra-  
tia POTENTISSIMI ac INDVLGENTISSIMI  
REGIS; splendidissimis fulges honoribus, TIBI ob-  
summas virtutes delatis. Affinitatem TIBI contraxisti  
cum domo longe illustrissima. Omnes summi et optimi viri  
TE adamarunt et venerantur, et vel infima quisque for-

\* 2

te,

te, TVAM comitatem lenitatem et benignitatem colaudant.

Quae omnia etsi in TE, praecipuam quandam felicitatem constituant, meritoque animum TVVM omni tempore perfuderint mira laetitia: tamen laetitia sortis, qua nunc gaudes, reliquas omnes, si non superat, certe extollit et roboret. Etenim nata TIBI iterum proles est ex ILLVSTRISSIMA CONIVGE quae parentum referret imaginem. Procreatione huius sibolis TVAE felicitati accessit bonum, cui nec honores, nec imperia, neque diuitiae sunt anteponenda. Procreatio sibolis sane omni tempore pro tali bono iudicata est, quo absoluatur summa viri boni felicitas. Absentia contra prolis, ex existimatione hominum, possessiones vel omnium rerum humanarum minuuntur, laetitiae frangitur.

Laetaris igitur felicitate perquam insigni. Gaudent TECUM TVA forte omnes boni, TIBIque de ea gratulantur. Laetor et ego, piaque vota concipio, quo integra TIBI semper constet haec laetitia.

Verum qua ratione id melius a me effici possit, quam si pace TVA, VIR EXCELLENTISSIME, pro modo virium mearum, paucis ostendero, *procreationem sibolis bonum esse, cui nulla alia res humana anteferenda sit, imo bonum esse, quo reliquorum omnium praestantia et utilitas augeatur et absoluatur.*

Iam primum communi consensu apud omnes populos, semper quasi sanctum fuit, foecundum matrimonium, magnamque progeniem, in magno honore esse habendam, nec minus hanc fortunam praecipuis quibusdam commodis et emolumenis cohonestandam esse. Semper in laude coniugii et viri positum fuit, magna stirpe stipatum esse. Declarant id tot leges et instituta omnium fere

fere gentium, in primis autem Graecorum et Romano-  
rum.

Lucii quidem Aemilii Pauli laus et gloria non ma-  
gis propter victoriam de Perseo, qua eum debellauit; et  
de illo triumphum egit, nobilis et praeclarus censemur,  
quam quod ei tanta fuerit liberorum progenies, ut duos  
in adoptionem dare posset. Multae sunt praeclarae res  
gestae Appi Claudii, illius dissuasio pacis cum Pyrrho  
valde celebratur: tamen illa praecipua eius felicitas inpri-  
mis commemoratur, quod quinque filiae, et quatuor fi-  
liae ei essent, a quibus, consularibus, etiam est elatus.  
Defectus autem liberorum semper calamitatibus humanis  
est annumeratus. Inde quoque apud illas gentes factum  
est, ut sterilitas, vel iusta causa diuortii existeret.

Tantum vero abest, ut haec communis et ab omni-  
bus fere populis recepta opinio, qua foecunditati matri-  
monii tantum felicitatis tributum fuit, falsa et vana, aut  
a homine christiano aliena res sit declaranda. Deus po-  
tius hanc opinionem suis effatis comprobauit, et magnam  
laetamque progeniem inter bona retulit, quibus ipse pie-  
tatem et amorem erga se remuneratus sit. Non solum  
diuinus vates in Psalmis nos docet: liberorum heredita-  
tem a Ioua esse; foetus ventris praemio dari ab eodem,  
sed etiam passim in oraculis diuinis a Deo, populo suo  
magna stirps, spes, ob verum sui cultum propo-  
nitur, et sterilitas, metus, ob eius neglectum interponitur.  
Davides ergo nulla alia re magis gauisus est, de eaque si-  
bi plausit, quam quod Deus ei testatum fecerat, suam  
domum continuam et perennem fore.

Sed et aliae pergraues adfunt causae, ex quibus fe-  
licitas, e procreatione sobolis oriunda eluceat. Si, ut  
praeclare iudicat Cicero in Laelio, fructus ingeii et vir-



tutis, omnisque praestantiae, tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur: nonne prole, vel vna ex omnibus re, vsus et fructus omnium possessionum et comodorum nostrorum ad nos redeunt, et in nostros usus quasi conuertuntur? Nonne absentibus liberis, fructus laborum et praecelare factorum nostrorum vna cum nobis pereunt et euaneantur? Quis sit, qui honores, gloriam virtutis rerumque gestarum, opes, diuitias, ingenium et gratiam, in alium quemque transferri, magis cupiat, quam in liberos? Proxima enim societas est in liberis. Et quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? Quis denique mortalium foret, qui bonum magno labore, multoque sudore partum, in diem tantum comparari, sibique prodesse vellat. In liberis autem omnia nostra bona, per multas generationes nobis adhuc profundunt.

Et quod maximum est, fructus bonorum nostrorum, quos quilibet bonus cum aliis communicari cupit, nemini alii melius et rectius impetriri possunt, nisi liberis a se procreatis. Etenim nemo dubitat, liberos permulta bona et emolumenta per ipsam generationem a parentibus trahere. Semina virtutis, magni et excellentis ingenii in ipsa iam conceptione sparguntur. Verum sit bona puero indoles, sit felicissimum ingenium, sint praeclarae denique animi et corporis dotes, nisi his bonis recta et bene instituta accedat educatio, sterilis et horridus erit ager. Quid vero in formandis ingeniosis, et singulis liberorum moribus, recta disciplina, sine qua educatione nulla est, efficacius esse potest? Quae sane a nemine alio, quam a parentibus praeclaris, sapientibus et omnibus virtute conspicuis exspectari potest. Magnorum viorum liberi non, nisi inter magnas res et praeclara facinora

ra versantur. Nihil vident, praeter res praeclaras et magnificas. Aures eorum personat laus et fama paternae maternaeque virtutis et gloriae. Quocunque se vertant, conspicunt praeclaras res gestas parentum, quae cum eos assidue comitentur, animos liberorum ad similes ausus prouocant, et a vitiis retrahunt. Quae vis et vtilitas disciplinae sit, optime demonstrat apud Romanos gloria et splendor familiae, Appiorum, Fabiorum, Aemiliorum et Corneliorum ex quibus per plures aetates viri boni et fortis prouenere, qui maiorum gloriam et splendorem in cuius possessionem venerant, et tuerentur et augerent. Huc quoque arte, Augusta stirps Ottonum et Henricorum, quorum innumera in Germaniam nostram collata beneficia, sempiternam eorum facient memoriam, tamdiu viguit.

Sed cur antiqua relogo, quo ostendam, liberos parentum virtutibus imbui et ornari? cum TE, VIR PERILLVSTRIS, domestica felicitas hanc rem edoccat. Socrus TVA ILLVSTRISSIMA COMES DE BR VHL, certe est decus et ornamentum omnium honestissimarum matronarum. Illius sapientia et perspicacia veri ab omnibus cognita et perspecta est. Nec minus religio, et pietas a parentibus suis accepta, et a se diligenter conseruata, probitas, modestia, comitas et benignitas eius a singulis uno ore laudantur et suspiciuntur. Quis denique illius venustate et gratia non teneatur? Num vero vel vna harum virtutum in TVA ILLVSTRISSIMA CONIVGE desideratur? Eius virtutes TE omnium mortalium beatissimum reddunt: lepos antem, venustas, suauitas et gratia illius, TVAM vitam perpetua voluptate et iucunditate replent et cumulant.

Tot



ZB 3594 OK X 355 97.94

VD18

8



Tot ergo ac tanta bona vnu TIBI attulit dies.  
Consecutus es DOMINE bonum, omnium populo-  
rum consensu maximum. Deus concessit TIBI felici-  
tatem, amori, cultui et pietati erga se propositam, et qua  
eius cultores maxime se iactarunt. Nata est TIBI, ex  
coniuge omni laude majori, Filia, ad quam haereditas  
paterna maternaque gloriae, et factorum imitatio per-  
tinet. De nullo alio igitur clariori monumento TIBI  
cogitandum erit, cum relicturis sis effigiem morum TVO-  
RVM, virtutis, pietatis, ingenii, filiam. Et cum Paren-  
tum virtutes, praecclare facta, et felicitas, locupletes sint  
testes de virtute, praecclare gestis, et prosperitate nato-  
rum: nihil magis huic recenti nata erit apprecaendum,  
quam vt Deus benignissimus, eam vna cum Illustrissimis  
parentibus diu adhuc sospitem ac felicem in vita conseruet,  
praesentemque laetitiam etiam in posterum concessa ma-  
sculina prole augeat atque corroboret. Deus cui omnes  
boni curae sunt, et qui iis aequie fauet, ac illorum insti-  
tutis et consiliis, ad sui honorem vtilitatemque humani  
generis spectantibus, TE saluti et commodis Ecclesiae  
assidue inuigilantem sua gratia muniat, et TVVM in  
Ecclesiam studium promoueat, TE que omni felicitatis  
genere cumulatissimum reddat. Iubeat Deus, vt TVVS  
TVAEque Illustrissimae Domus splendor gloria et felici-  
tas vna cum crescente aetate TVAE filiae augeatur  
et crescat. Quibus votis, Deus, numen benignissimum,  
ita annuat, vt me, measque res TVO Patrocinio com-  
mendatissimas esse cupio, omnique submissione rogo.  
Dabam Wurzenae a. d. xvii. April. MDCCCLVIII.

*Crescit occulto velut arbor aeno*

*Fama Marcelli;*

HORAT. Carm. L. I. Od. 12.



M

AK. 295

v. Globig

Zb  
3594

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

# ILLVSTRI

A C

TISSIMO DOMINO,

M I N O

# GOTTHELF GLOBIG

ONIAE ET ELECTORIS

VPREMO CONSISTORIO

R E S D E N S I

A E S I D I

A T A F I L I A

P I E

G R A T V L A T V R

I V L I V S F R I D E R I C I

O E K R I Z . M I S N .

I N I S T . C A N D I D A T .

E P S I A E  
I N A L A N G E N H E M I A .

